

Si aut significator fuerit in parte occidentali celi descensio obliqui significatoris ad eandem elevationem poli supra circulum positionis accepta: per octavum quidem problema si nullam habuerit latitudinem: per undecimum autem si quam habuerit latitudinem: descensio inquam minuenda est ex descensione obliqua promissoris eodem modo accepta: sic enim relinquetur directio quam queras. Nulla prolixius exemplari computatione hic est opus si ea que circa ascensiones ac descensiones iam dudum monuimus et operati sumus recte didicisti.

Tricesimum sextum problema.

Quo pacto significator quispiam contra signorum successiones dirigendus sit lucubrare. Directio significatoris cuiuspiam contra signorum successiones similis est directioni secundum signorum consequentiam: hoc uno considerato quod ascensiones et descensiones accipiuntur secundum positionem promissoris et non significatoris ac si promissor dirigendus esset ad locum significatoris: sic enim subtrahemus ascensiones rectas promissoris ab ascensionibus rectis significatoris si in meridiano constitutus fuerit promissor: ascensiones autem obliquas promissoris ad latitudinem regionis sumptas ab ascensionibus obliquis significatoris si promissor in ascendente iacuerit: aut descensiones huius a descensionibus illius si angulum occidentis tenuerit promissor: et relinquetur directio expectata. Quod si nullus ditorum angulorum promissorem habuerit inuenta prius elevatione poli borealis supra circulum positionis sue subtrahemus ascensiones obliquas ipsius ad eandem poli elevationem sumptas ab ascensionibus obliquis significatoris si in medietate orientali fuerit promissor: aut descensiones eius obliquis a descensionibus obliquis significatoris ad eandem poli elevationem acceptas accomodato integro circulo 360 graduum quotiens opus fuerit: quod enim relinquetur directionem ostendit quesitam.

Tricesimum septimum problema.

Ad quem locum zodiaci directio significatoris cuiuspiam secundum signorum successiones perveniat in aliquo anno proposito investigare. Si in radice natiuitatis vel alterius principij fuerit significator et in meridiano siue supra terram siue sub terra ascensio recte est ad de numerum annorum transactorum ab instanti talis radice id est pro quolibet anno exacto unum gradum equatoris dicte ascensio recte adicias et aggregati tanquam ascensio recte quere arcum ecliptice reiecto prius integro circulo si oportuerit: directio enim significatoris memorati in anno sequenti eos annos quorum numerus additus est ascensioni recte profate perveniet ad gradum qui sequitur in medietate arcus ecliptice iam inventum.

c 2